



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 205. Apprehenderunt quendam Simonem Cyrenensem venientem de
Villa. v. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

§. 205. *Apprehenderunt quendam Simonem Cyrenensem venientem de Villa. v. 26.*

Ecce quam verè dixerim S. Lucam compassionis affectibus plenum, facere in passione Domini memoranda, saltum: nam vti dolentes & rem amarissimam præ oculis habentes, solent ab ea oculos, imò cogitationes auertere: sic S. Lucas calamum à Christo nimis immaniter patiente auertens, vertit eundem ad aliud obiectum, nempe contumeliam, quam petulantibus milites interrogarunt Simoni Cyrenensi innoxie venienti ex villa sua, & tendenti in urbem fortè ad res venales eo deportandas, quem arreptum coegerunt portare crucem post Iesum. Non erat illis religio immaniter Christum crucifigere; at ferre crucem aut tangere religio erat, quasi vero ille qui patibulum tangeret, magis quam in eo innoxium suspenderet, inquinaretur.

O Proteruiam militaris licentiæ! & sæpe miserabilem sortem rusticorum hominum; sed quid Simon ille est? nisi obediens. Quid Cyrenæus? nisi hæres, & vnde veniebat? nisi è villa; quæ pagus græcè dicitur, vnde & Pagani nomen traxerunt. Vt igitur paucis finiam, quotquot paganissimi mores, gentilitios ritus, vanitates mundi deserunt & ad Christum accedunt portantes Crucis vexillum, hi cœlestis regni hæredes fiunt; sed quoniam apprehenderunt hunc Simonem? Iudæi? Christo non compatiens, verum ut sufferendis maioribus supplicijs idoneus seruaretur: quid igitur mirum est, si gentes pro Iudæis aspernatoribus Christi crucis in regnum pro eis intraverunt. Benedicite itaque omnes gentes Dominum: & benedictus sis tu Simon quia per tuam coactionem cœpisti gentibus aperire regnum cœlorum. Sed & tu Domine Iesu amantissime fac me, vel coge me tuam crucem arctiori assumpta pœnitentia sponte apprehendere, eamque post te & hodie & in omni tempore, ob tui nominis amorem, bailare.

§. 206. *Ut imposuerunt ei crucem portare post Iesum. v. 26.*

Quid hic dicemus esse portare crucem post Iesum? Variè enim id potest intelligi. nempe primò, vt Christus anteriorem partem portauerit, Simon posteriorem, totam simul vterque, secundo quod Christus in tempore antecedenti tulerit; Simon in tempore sequenti; tertio quod Christus intereundem præcesserit loco anteriore ductus, Simon secutus sit eum cum cruce tota loco sequente ordinatus à ministris in hac processione, quarto quod dignitate Christus tulerit quasi prius, Simon vt minus dignus post, quomodocunque vero illi ordinauerint, & nos meditemur esse factum, admiranda inuenimus Mysteria; animæ nostræ pascua, ex singulis & omnibus simul.

S 2

O Ani-